

A  
 3. *DIVISIO* in partes, quarum prior est  
 { GENERALIS (seu UNIVERSALIS, quæ communissimum Entis conceptum, & quæ illi per se insunt, considerat,  
 { SPECIALIS est, quæ ad speciales & proprios conceptus inferiorum entis, ut substantiæ & accidentis, & cum primis ad specialissimam considerationem DEI & aliarum substantiarum immaterialium descendit.

## ANNOTATA.

(α) Quemadmodum in omni scientiarum genere tam nobili, quam ignobili duo sese offerunt, quorum alterum τὸ πρᾶγμα ἢ ἐπιστήμη i.e. rei ipsius scientiam; alterum verò παιδείαν seu introductionem ad scientiam bene nominari posse arbitratur *Arist.* *1. de part. an. c. 1.* Ita & in Metaphysicâ se nobis exhibent duo (1.) παιδεία (2.) πραγμάτεια. Ad παιδείαν spectat Metaphysicæ DEFINITIO; OBJECTUM; PARTES; LIMITES; ORIGINATIONEM VOCIS designare. Jam in hac Tab. I. agitur saltem de iis, quæ ad παιδείαν Metaphysices pertinere solent.

(β) Theophrastus ob divinam eloquentiam ita dictus Præceptoris sui, Aristotelis nempe, opera magnâ ex parte in ordinem redegit; nam Philosophus jam jam moriens (mortuus autem est sexagenarius in Chalcide, eò ipsò anno, sc. Mundi 2628. quò DEMOSTHENES ejusdem ætatis, in Calabria haustò, è calamò scriptoriò veneno vitam finiit) Lycæum & bibliothecam testamento reliquit Theophrasto, qui & ipse multa scripsit opera, quæ si superessent, procul dubio sapientia Græcorum perfectius cognosceretur.

(γ) Quomodo & quò ordine inventæ fuerint scientiæ & artes, docet Aristoteles *1. 1. Metaphys. c. 1. & 2.* Ad modum pertinet, quod ait: **ex sensu memoriam, ex memoriâ experientiam, ex experientiâ artium & scientiarum principia nata esse.**

Quantum ad ordinem attinet, primum artes necessarias & ad vivendum utiles, mox quæ ad voluptatem faciunt, inventas; tandem scientias non destinatas ad aliquem vitæ usum, quales sunt Theoreticæ, introductas esse, asserit. Denique inter scientias Theoreticas primò *Mathematica* in Ægyptò constitutæ sunt. Deinde *Thales* aliique Physicæ suam dederunt operam. Postremò inventa est Metaphysica. Causa igitur impulsiva artium ad aliquem vitæ usum destinatarum est *necessitas*. Theoreticarum scientiarum causa impulsiva est *fuga ignorantia*, (quod manifestum ex *lib. 1. Met. cap. 5.*) propter admirationem enim (admiratio est indicium ignorantia) coeperunt homines philosophari. Principio quidem res minus difficiles admirati. Deinde paulatim progressi, de majoribus etiam querentes, velut de Lunæ, solis ac stellarum affectionibus, de ortu etiam Universi.

(δ) Si particula *μετὰ* exponitur per *trans* vel *supra*, sic Metaphysica diceretur scientia transnaturalis vel supranaturalis, & quidem ita, quia de illis agit, quæ limites Physicæ transcendunt, quæque superiora sunt rebus naturalibus.

Ea autem, quæ in Metaphysicâ tractantur, transcendunt illa, quæ in scientiâ naturali tractantur, **duobus potissimum modis.** (1.) UNIVERSALITATE, versatur enim Metaphysica circa entis universalissimum conceptum, & circa illius universalissima attributa, qualia vulgò statuuntur, *unum, verum bonum,*

quæ ob prædicationis latitudinem non Physicæ modo, sed & omnium aliarum disciplinarum objecta transcendunt, unde & usitatè **TRANSCENDENTIA** ea dicuntur, quippe cum reliquarum disciplinarum omnium objecta certis Prædicamentorum cancellis includantur; Metaphysicæ objectum propter suam latitudinem & Universalitatem nullis potest includi, sed omnia Prædicamenta *transcendit.* (2.) DIGNITATE; Metaphysica enim pro objecto habet non tantum Ens Universalissimum, sed & præstantissimum, Spiritum nempe, tam infinitum, qui est DEUS, quam finitum, quales sunt *Angeli*. DEO autem nihil est dignius, nihil excellentius, unde & idem à quibusdam *objectum perfectionis* hujus disciplinæ dicitur.

(ε) Sciendum hic aliquid esse prius alterò dupliciter. (1.) NATURA (2.) QUOAD NOSTRAM COGNITIONEM. Naturâ prius dicitur iterum bifariam; (α) Illud, à quò non recipitur essendi consequentia, h. m. Animal est prius homine, valet enim consequentia; *homo est*, E. animal est, sed non reciprocè animal est, E. *homo est*, quia potest esse brutum. Sic numerus binarius prior est numero ternariò; valet enim, *tria adsunt*, E. *duo adsunt*; sed non: duo adsunt, E. *tria adsunt.* (β) Illud dicitur prius naturâ, à quò recipitur essendi consequentia, ita tamen ut id, à quò recipitur, *sic causa alterius*. Sic Sol est prior radiis naturâ, quia inter solem & radios est reciprocatio, valet enim consequentia; Sol est E. radii sunt; Radii sunt, E. Sol est. Jam ea, quæ in Metaphysicis tractantur, *sunt priora naturâ*, & sic Metaphysica dicitur prior Physica, quia agit de Universalissimis rebus, quæ priores sunt naturâ minus Universalibus.

(2.) Quoad nostram cognitionem prius dicitur, quod primò omnium vel prius à nobis cognoscitur; h. m. *Effectus* sunt priores causis, & *singularia* Universalibus, ut & *minus Universalia* magis Universalibus. Nostra enim cognitio incipit à *sensibus*, (qui tantum singularia percipere valent, nemo enim vidit unquam hominem in Universalis) & ab his progreditur ad Universalia. Jam Metaphysica est posterior Physicâ & Physicâ prior. Posterior Physicâ, si intelligitur prioritas quoad cognitionem nostram; quia enim objectum Physicæ est minus Universalis, quàm objectum Metaphysicæ, idèò objectum Physicæ est prius objectò Metaphysicæ & quidem quoad cognitionem nostram. *Metaphysica prior Physicâ est quoad naturam*, nam objectum Metaphysices sunt universalissima, quæ naturâ sunt priora minus Universalibus, de quibus Physica agit.

(?) Ut intelligatur, cur Metaphysica dicatur Philosophia absolute, sciendum est, quod Philosophari secundum Aristotelem in primis consistat in investigatione causarum; *Philosophari* enim ipsi idem est, ac scrutari effectuum causas. Quia autem Metaphysica de Universalissimis causis agit, & sic in causarum investigatione occupata est, non immeritò dici-